Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

admirati. Nam ipsi aque tanta penuria constringuntur.
ut tali diligentia eam dispensent. quali nemo facit pre-
ciosissimum uinum. Tribus namque milibus et eo amplius eam de nilo
flumine necessariis usibus apportant. quod tamen interuallum
harenosis diuersisque montibus. laboris difficultate grauissima
duplicatur. His ergo uisis cum nos imitationis eorum ardor accen-
deret. unus eorum probatissimus heremita archebius nomine
humanitatis gratia perduxit nos ad suam cellulam. Qui cum
comperisset nos ibidem uelle commorari. finxit se eundem lo-
cum derelinquere uelle. ac nobis cellulam suam uelud ex-
inde migraturus cepit offerre. Dicebat autem se hoc fac-
turum. etiam si nos non aduenissemus. Tunc suscepta cellu-
la ipsius cum omnibus utensilibus. possidebamus eam. Itaque ille pau-
cis diebus quibus construende celle pararet inpendia a lo-
co illo discedens. rursus post hec aliam summo labore
construxit. quam rursus non longe post superuenientibus fratribus si-
militer caritatis causa cum uniuerso tradidit instrumento. Ipse
uero ergo opus caritatis infatigabiliter perseuerans. terciam sibi
cellam ubi commaneret instruxit.

Quidam autem frater cum ficus de mareote abbati
iohanni in heremo scithi detulisset. ille statim
ad senem quendam qui interiori deserto mala
ualitudine laborabat per duos adolescentulos
misit. siquidem decem et octo milibus longe aberat cella in qua
manebat solitarius. Qui adolescentes acceptis